DE PLAUTI FABULARUM RECENSIONIBUS AMBROSIANA ET PALATINA COMMENTATIO CRITICA

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649560875

De Plauti Fabularum Recensionibus Ambrosiana Et Palatina Commentatio Critica by Bruno Baier

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

BRUNO BAIER

DE PLAUTI FABULARUM RECENSIONIBUS AMBROSIANA ET PALATINA COMMENTATIO CRITICA

Trieste

LL
P7217
.Yb

DE PLAUTI FABULARUM RECENSIONIBUS AMBROSIANA ET PALATINA COMMENTATIO CRITICA

SCRIPSIT

BRUNO BAIER

VRATISLAVIAE
APUD GUILELMUM KOEBNERUM
1885

AUGUSTO REIFFERSCHEIDIO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

STUDIORUM AUCTORI ET ADIUTORI LIBERALISSIMO

SACRUM

Liber, cuius ante hunc annum primam edidi partem, nunc demum integer in publicum prodit, non qualis satisfaciat consilio meo ac voluntati, sed qualis e manibus tandem emittendus erat etsi nondum satis perpolitus maturatusque. nam quod ubique in litteris diem die doceri videmus, id inprimis valet in eiusmodi quaestionibus, quae per vias sive omnino novas sive a paucis temptatas procedant. itaque cum partim ob temporum angustias partim ob incredibilem typothetae segnitiam in plagulis inprimendis permultum temporis consumeretur, ego vero huic quaestioni incumbere numquam desinerem, non potuit non evenire ut aliquotiens quod initio feceram iudicium immutarem, immutatum vero profiteri non cunctarer non tanti faciens quod disputationis cursum, qualem in primi capitis fine proposueram, anxie tenere ita non licebat. quodsi sub finem inprimis commentationis aliquid incommodi extiterit, boni consulant quaeso lectores veritati me non constantis iudicii mendaci speciei studuisse scientes. deinde non casu neque neglegentia factum est quod nonnulla, quae ad hanc quaestionem spectant, a disputatione exclusa sunt. velut quod de hiatu et de versuum discriptionis diversa in recensionibus condicione quaestionem peculiarem non tam instituere quam in publicum edere nolui, ideo feci, quia ad has quaestiones intricatissimas enodandas nisi doctissimos quosque neminem esse idoneum viderem; terrebant enim iusta dubitatione viribus suis

diffisum vestigia quaerendam, qui has vias maiore cum fiducia quam successu iniceram.

Opusculum autem qualecunque conlectum est non possum omittere quin gratissimo animo referam de eo cum conscribendo tum imprimendo prorsus singulari modo meritum esse Georgium Wissowa amicum inter omnes carissimum, cuius indefessa opera nunquam mihi defuit.

Scripsi Vratislaviae Kal. Oct.

BRUNO BAIER.

Plautinarum fabularum emendatio cum inter spinosissimas artis nostrae provincias iure existimetur et ob singularem sermonis Plautini indolem et propter librorum qui hodie supersunt condicionem miseram, qui nullum non perpessi sint corruptelarum genus, tamen his omnibus maiores difficultates oboriuntur ei, qui genuinam fabularum formam reciperare studet, inde, quod nunc quidem neminem fugere potest etiam librorum nostrorum archetypos adeo non ipsam poetae manum repraesentavisse, ut totas fabulas exhiberent data opera a correctoribus retractatas, cuius retractationis vel, ut usitato nomine utar, recensionis duo genera sunt: quorum alterum continetur in ea fabularum retractatione, qua a dominis gregum in novarum actionum usum totis scaenis vel scaenarum partibus, quales a Plauto profectae erant, novae aut substitutae sunt ita, ut Plauti versus perirent, aut adscriptae, ut Plauti versus iuxta eos, qui ad illorum similitudinem postea effingebantur, aetatem ferrent. id vero scimus plerumque in eum finem factum esse, ut a Plautinis comoediis robiginem antiquitatis detergerent, aut ne verborum rerumve in scaena gestarum obscaenitate, qualem Plautus non vitavit, aures oculique audientium offenderentur, aut denique, ut scaenis resectis fabulae Plautinae in brevius contraherentur; quo facto si qui hiatus sententiarum continuitatem interrumpebant, de suo ingenio supplementa subdiderunt. in qua rerum condicione ut vere Plautina disterminarentur ab iis, quae ab aliis poetis qualibuscumque in Plautum invecta sunt, insignem operam contulerunt viri de Plauto optime meriti multaque certis aut — sicuti in eius modi disquisitionibus usu venit — probabilibus ratiocinationibus expediverunt. a qua diversum est alterum recensionis genus grammaticae, quae ad fabularum oeconomiam non pertinet, sed in singulis verbis vel versibus mutandis versatur eoque inprimis consilio a grammaticis instituta est, ut linguam et versus recentiori consuetudini et